

pendet a Dei voluntate . . . . Resp. Dist. ant. Quod res sit possibilis extrinsece, id habet a voluntate divina, C. Ant; quod sit possibilis intrinsece, N. A. & pariter distinguo consequens. Res igitur vel concipitur ut creatura, & sic est possibilis extrinsece, pendetque a voluntate divina ad recipiendam existentiam; vel consideratur in ratione entis, quod nullam contradictionem involvit, & tunc nullo modo pendet a voluntate Divina, licet pendeat ab ejus intellectu.

Inst. 4. Hæc non repugnantia est aliqua perfectio, ergo pendet a voluntate Divina . . . . Resp. dist. Ant. hæc non repugnantia est aliqua perfectio non existens nisi in intellectu divino, C; existens seorsim ab intellectu divino, N. Ant., & pariter dist. conf. ergo pendet a voluntate divina, ut existat seorsim ab intellectu divino, & a parte rei, C. Conf. ut existat in intellectu divino, N. conf.

## ARTICULUS II.

*De identitate, & similitudine.*

I. **P**ER affectiones entis intelligimus quævis ipsius predicata, quorum ratio, vel in essentia sola, vel etiam in aliis ab essentia diversis continentur, sive ea intrinseca fuerint, sive extrinseca. Latius itaque patet affectionis, quam attributorum, atque modorum simul sumptorum nomen; cum sub isto nomine comprehendantur etiam prædicata extrinseca: quæ relationem